

aliquando consortem fuisse notitie vestre et amicitie. Coram fratre equidem vestro Romanorum rege videlicet illustrissimo et regina episcopisque duobus, Eistatensi scilicet et Wirzburgensi, primum presentie vestre me representavi, et quia prudenter vos respondisse clericis intellexi utrorumque videlicet episcoporum predictorum capellanis, ex illo tempore magno vos amplexatus sum desiderio; dignum enim existimavi omni esse dignitate, quem tanta vidi peditum esse humilitate. Innovatur insuper amor iste desiderii nostri de die in diem, cum enim habitum mutavi ex nostroque claustro vos iam episcopali kathedra sublimatum Monti Chotwico provisorem assumpsisse idoneum gaudeo, maxime idcirco, quia vos occupatum in divini ministerii diligencia considero.

Quia vero nostris temporibus quedam divina revelantur interdum opera, ne etate deleantur nimia, ea proposui scribendo memorie tradere, ut sicut per priores antiqua ad nos translata, ita quoque per nostram diligenciam moderna in futura reserventur secula.

Pervenit quippe ad nos quodam monacho nostro quondam milite vestre ecclesie referente beati Valentini interventione quendam canonicum vestre urbis maioris ecclesie incaute accessisse ideoque exterioris luminis claritatem amisisse. Simile autem me recolo de sancto Odalrico legisse: quem in sacrum ministerium positum cum quidam clericorum suorum divinitus conspexisset glorificatum idipsumque incaute protulisset in populum, ab episcopo suo pro hoc redargutus est penitenciaque ductus nimia lacrimarum effusione oculorum percussus est cecitate⁴⁾. Matrona quoque nobilissima et speciosissima, sed infecunda, maritum suum totam possessionem suam ecclesie beati Petri Ratisponensis episcopii, ut memoria beati Blasii ibidem age[retur, delegantem subsannavit, subito paralisi per]cussa est. Quid autem super his dicendum est nisi cum Psalmista exclamando: „Magnus Dominus et metuendus nimis super omnes, qui in circuitu eius sunt!“⁵⁾.

Quoniam autem ad exemplum nostrum vitas aliquorum religiosorum virorum metricè descripsi humilitatique mee auctoritatem conferre non potui, ideo sanctitati vestre codices istos examinandos representavi, ut, si quid ibi utilitatis inveneritis, divine gracie attribuat, et resistatis detrahencium importunitati, memor Scripture dicentis: „Qui recipit prophetam in nomine prophete, mercedem prophete accipiet“⁶⁾: Quod⁷⁾ qualiter intelligendum sit, multo melius me beatus Gregorius papa exposuit⁸⁾. Si vero nullius utilitatis istud opusculum esse diligencie vestre visum fuerit, tamen karitatis fructus perire non poterit: quicquid enim pie volumus, apud deum factum esse non dubitemus, quem securi videamus in trinitate perfecta regnantem per immortalia secula seculorum. Amen.

Formal ist zunächst zu bemerken, daß die Worte *Matrona* bis *age-* mit sehr enger Schrift in einen zu klein bemessenen Zwischenraum nachgetragen sind, und daß die noch zugehörige letzte Zeile — hier in eckige Klammern gesetzt — aus sehr dürrtigen Spuren gemäß der Rekonstruktion durch Kaindl wiedergegeben wurde. Ebenso nachgetragen ist der ganze Passus im Anschlusse daran bis *Scripture dicentis*, aber auch die beiden Worte *sancto Odalrico*, und diese in sehr ungeschickter Weise von einer kaum identifizierbaren Hand.

⁴⁾ Vita Udalrici c. 8, Migne, PL. 142, 1191.

⁵⁾ Ps. 88, 8.

⁶⁾ Mt. 10, 41.

⁷⁾ Cod. Gotw. fol. 10^v.

⁸⁾ XL Homil. in evang. 1, Hom. 20, c. 12, Migne, PL. 76, 1165.